

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro 68. (*Neovidensis* 1805. Nro 65.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos  
inter, ac mortuos.*

Epistola missa Libero Baroni Friderico, Ca-  
rolo, de Moser — in Elysium.

*Ex mundo superiore.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis. 27. Aug. 1805. (Neov. 13. Aug.)

---

**E**rgone mundus liberi animi virum, & mul-  
ta eruditione conspicuum Liberum Baronem  
de Moser oblivione sepelivit? — Minime gen-  
tium, experiatur etiam trans Leihen, quam  
varia in eo occurrant facta.

Generatim non favent præsentia tempora  
Rebus publicis. Ante paucos annos, inquit  
amatus scriptor, convertebantur Monarchiæ  
in Respublicas, modo contrarium obtinet.  
Imperator, qui gubernacula Galliæ modera-  
tur, excellit non tantum ingenii vi, & ausu  
efficaci, sed etiam novo politico systemate,  
a quo hæcenus Galli abhorrebant, vel saltem  
illud, ne alias Europæas gentes offenderent,  
sequi recusabant.

Ea erat jam olim Regum Galliæ domesti-  
ca politica, ut populis libertatem aucupanti-  
bus, palam, vel occulte præstiterint auxilia;  
Respublica Batavorum (*Hollandia*) originem

tuam, & conservationem in acceptis refert Henrico IV; Et Ludovicus XIII, ejus successornatrem, est partes Barnevelli contra Guarnatorem, quin tamen potuerit eum prodiosæ morti eripre.

Tandem Cardinaelies Mazarini pepigit fœdus Offensivum, & defensivum cum Anglica illius temporis Republic, vel potius cum formidabili Regicida Cramvello, & præterea adjuvit unum e posteris Liguisticorum Guisiorum, ut Neapoli Rempublicam erigeret sub administratione Gubernatoris.

Quis libertati asseruit Principes Germaniæ? nisi hæc gallica domestica politica, dum videlicet ordines imperii ad summam potestatem evertit, dum germanicum Statum in unam sic dictam fœderatam, & languidam Rempublicam transformavit, dum denique Aristocratiam super stabili, at modo jam — & potissimum per Gallos — subruto monumento — pace Vestphalica — fundavit?

Non eratne Gallia, quæ Anglicum commercii colossum in America evertit, atque Americanis victoriam de gubernio in mari-bus dominante faciliorem reddidit?

Estne hodie forte propterea toto cœlo diversum systema adoptandum, quod videantur adesse rationes, ut huic veteri domesticæ politicæ eversio ultimæ monarchicæ constitutionis in Gallia tribuatur? sed quis hoc jure propugnet? Illa politica domestica efficit, ut alii debilitarentur, & nisi per terribilem Americanam effervescentiam oblitera-  
fuisent veræ de monarchia ideæ, seditio nna

fuisset conflata, & probabilius nec erupisset.

In nostra germanica patria multæ Respublicæ Cita amabant nominari urbes Imperiales) interierunt. Ecclesiastici Principes, & Monasteriorum Antistites præcesserunt, præferentes ad sepulchrum lugubre vexillum. Hi omnes in brachiis sæcularium Principum occubuerunt, volo dicere, svavissimo amplexu excepti sunt. Eorum ruina est politicum infortunium, quod sæpe dominum ad conditionem famuli deprimit. Populi, qui se longo tempore trito illo proverbio oblectabant: *Jucundum est habitare sub incurvo baculo*, queruntur de novo suo statu, eorum autem domini, ac si cælum omnem jam præclusisset prosperitatem, novas semper inveniunt necessitates in suis possessionibus. — Verum hac de materia plura alias.

De pugna navali, quæ inter Gallicam Hispanicæ junctam Classem, & Anglicum Admiralem Calder intercessit, sequens legitur relatio in Londinensibus Aulicis ephemeridibus:

Extraordinaria nova Londinensia, Die Mercurii 31. Julii.

Exemplum litterarum ab Admirali Cornvallis supremo Præfecto navium in Canali Brittanico excubantium missarum Domino Vilhelmo Marson:

In navi: *de la Ville de Paris*, 28 Julii 1805. Vesperis, hora 10.

Domine! Collegio rei navalis submitto pro informatione prototypon litterarum Proadmiralis Domini Roberti Calder, qui de Gal-

lica Hispanicæ juncta classe victoriam reportavit, & maneo &c.

M. Cornwallis.

In navi *the Prince of Wales* 23 Julii 1805.

Heri ante meridiem observavi Gallicam Hispanicæ junctam classem in latitudine 43 grad. 30. min. versus septentrionem, in longitudine autem 11. grad. 17. m. ad occidentem; constabat illa ex 20. primæ magnitudinis navibus, tribus majoribus, quarum quælibet 50. vehebat tormenta, 5. celocibus, & tribus aliis minoribus. Meam potentiam constituerunt 15 primæ magnitudinis naves, duæ celoces, & duæ præterea minores. His in aciem dispositis profectus sum hosti obviam, judicansque me illi satis prope occurrisse, signum dedi ad faciendam contra centrum aggressionem. Vix detexi ejus insidias, jussi naves converti, interea meæ excubiæ usque ad hostile centrum penetrarunt, quod terga vertit, quare illico priorem ordinem repertii, & sic initium datum est conflictui, sine intermissione solvebantur tormenta, duravitque pugna spatio 4 horarum. Duæ hispanicæ naves de linea Raphaël 84. & Firma 74. tormentorum se dediderunt. Venti erant hosti tota die secundi; a summo mane tempestas cum nebulis variabat, quæ sæpe tempore conflictus tantæ ingruerunt, ut vix luquerit hostem a fronte, vel a tergo videre. Atque hæc est causa, quod nostram victoriam pluribus occupationibus splendidiorem reddere non valuerimus, favente magis tempestate illa certe gloriosior evasisset.

Cæterum vehementer gratulor, me posse palam profiteri, quamlibet et navim suo mœre rite esse defundam. Quapropter ausim singulis navium Præfectis, Officialibus, militibus, & nautis, qui hac die ab ore meo pendebant, pro singulari eorum fortitudine gratias agere. Præfecto autem navis *Hero Gardner*, qui excubiis præfuit, uti etiam Præfecto *Cuming* sum peculiari ratione devinctus.

Adnecto catalogum mortuorum, & vulneratorum; si omnes aliæ hostiles navestantum sunt passæ, quantum duæ occupatæ, non est exigua hostis jactura. Ille in conspectu adhuc nostro versatur supra ventum; Quamprimum occupatas naves in tuto collocabo, & classem reficiam, plura perscribam adjuncta de unita classe; Interea sum &c.

R. Calder.

Catalogus navium:

Hero sub Præfecto A. H. Gardner	Mortui		
		1.	Vul. 4
Ajax -	Vilhelmo Brovn -	2	- 16
Triumphus -	Henrico Imman -	5	- 6
Barfleur - -	Georg. Martin -	3	- 7
Agamemnon	G. Harvey -	—	- 3
Vindsor Castle	Ch. Boyles -	10	- 16
Defiance -	P. C. Durham -	1	- 7
Prince of Valeh	sub Pro admiral		
	R. Calder, & Præf.		
Cuming - - - -		3	- 20
Repulse -	A. K. Legge -	—	- 4
Raisnable	I. Rovley -	1	- 1
Dragon	sub Præfecto E. Griffiths		
nec Mor.	nec Vul. ullum.		

Glory sub contra admirali D.		
Carolo Stirling, & Præf. Warren	1	1
Tanderer - V. Lechinere	7	11
Varrior - St. Hood Linzée	nullum,	
Malta - E. Buller	5	40

Caloces:

Egyptienne, nullam fecit relationem.

Agreus	2	3
Frisek, & Nyl	nullum	

Summa mortui 41. vuln. 158.

Classis Gallico - Hispanica non pugnavit in aciem disposita, sed tantum seorsim, duæ, vel etiam tres simul ingenti cum furia adortæ sunt nostras singulares naves; inde factum ut naves Windsor Castle, & Malta, utpote his impetibus plurimum expositæ, gravia acceperint detrimenta. Iste conflictus initus est in distantia 50 milliarum a portu Coronensi versus occidentem.

B i o g r a p h i a.

*Moser.* (Fridericus, Carolus, Liber Baro) Imperii Germanici Consiliarius aulicus, plenus meritorum, & politicus martyr, maximus natus filius celebris Joannis Jacobi Moser, natus Sutgardiæ 18 Decembris Anno 1723. In domo Patris sollicitam nactus est educationem, aliquot annis operam dedit litteris Jenæ, Magistro usus potissimum Budernio. Anno 1743 Berolinum translatus a Patre, qui in negotio religionis Ducis Caroli Alexandri ibidem distinebatur, sed Anno 1745 ad Cæsaream electionem transiit Francofurtum ad Mænum. Post hæc aliquo tempore moraba-

tur in Lusatia inferiore apud Comitem Gro-  
 doif, Electoris Saxonie supremum circuli  
 Præfectum. Anno 1747 creatus est in Can-  
 cellaria Hasso-Homburgica Secretarius, tum  
 Anno 1749 aulicus Consiliarius, verum inde  
 se Hanoviam contulit, ut Patri suo in erecta  
 tunc temporis Status, & tabularii sandioris  
 Academia adjumento esset. Dissoluta autem  
 Anno 1751 hac Academia rediit Francofur-  
 tum ad Mænum, ubi Hasso-Darmstadiensis  
 legationis consiliarius renunciatus, & paulo  
 post intimus consiliarius, & legatus in cir-  
 culo Rhenano superiore; Post paucum tem-  
 pus collata eidem est dignitas Hasso-Cassel-  
 lani intimi Consilarii, cujus aulae legatum  
 egit in superiore circulo rhenano; ablegatus  
 quoque fuit ad Generales status, & aulam  
 Cæsaream; porro legati muner functus est in  
 aula Moguntina, Confluentiensi, & Monhei-  
 mensi. A. 1763 Franciscus Imperator reno-  
 vavit ejus antiquas litteras nobiles; Jose-  
 phus vero II. nominavit eum A. 1767 Impe-  
 rii Germanici Consiliarium aulicum, & A.  
 1769 in numerum liberorum Baronum adop-  
 tavit, postquam se honore aulici Consilarii  
 abdicasset, fuissetque administrator Cæsarei  
 Comitatus *Falkenstein* constitutus. A. 1770 25  
 Augusti Landgravius Hassiæ Fridericus II.  
 impertitus illi est ordinem Hasso-Casselanus  
 aurei leonis. A. 1772 venit Darmstadium ut  
 primus Status minister, Præses universorum  
 in provincia collegiorum, & Cancellarius,  
 fuitque a suo Principe plena rerum agenda-  
 rum instructus potestate. A. 1780 petuit di-



missionem ab officio, & obtinuit. Hinc privatam duxit vitam in prædio Zvingenberg; Landgravius diversa edidit rescripta, in quibus ejus merita, in gestis muneribus posita, honorifice memorabat. Una adhuc ei domus supererat Darmstadii, hanc emendam obtulit Langravio, non ex gratia, ita ille, sed ex justitia; cum in ejus ditione ad incitas sit redactus. Ad hæc graviter est reprehensus, & paulo post jussus Regno excedere; Paruit, sed Viennæ conquestus est. Plura emanarunt in favorem Moseri rescripta; interim Landgravius delegit viros, qui facta Moseri cognoscerent, at coram his ille se non stitit, ideo convictus in contumacia, ut omne damnum Landgravio illatum resarciat, & ad sex annorum pœnam in Præsidio subeundam condemnetur. Hanc sententiam Collegium consiliariorum aulicorum imperii Germanici rejecit, & novam ordinavit a partium studio alienam inquisitionem: Interea Landgravius vitam cum morte commutavit, & Successor sublata inquisitione, Mosero non tantum restituit occupatum patrimonium, sed etiam omnem præstitit indemnitate, & præterea annuam termille flor. pensionem est emensus. Redux Vindobona vixit Manheimii, A. 1790 in arcem Ludovicianam concessit habitatum, ubi etiam extremum vitæ spiritum edidit A. 1798 10 Novembris. Vir hic multis libere scriptis opusculis celebritatem nominis est consecutus.